

moveat fama adversi belli, et in majus, sicuti mos est, omnia extollens: sibi CCC millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat: qua manu aut cum gloria ejus perdomitum se Graeciam; aut, si aliter eventus ferat, sine ejusdem infamia hostibus cessurum. Probato consilio, Mardonio exercitus traditur: reliquas copias rex ipse reducere in regnum parat. Sed Graeci, audita regis fuga, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat: ut intercluso reditu, aut cum exercitu deleretur; aut desperatione rerum, pacem victus petere cogeretur. Sed Themistocles, timens, ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, et iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent: satis multos hostes in Graecia remanere, dictans, nec augere numerum retinendo oportere; cum vincere consilio caeteros non posset, eundem seruum ad Xerxem mittit, certioremque consilii facit; et occupare transitum maturata fuga jubet. Ille percusus nuntio, tradit ducibus milites perducendos; ipse cum paucis Abydon contendit. Ubi cum solutum pontem hybernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trepidus trajecit. Erat res spectaculo digna, et aestimatione sortis humanae, rerum varietate miranda in exiguo latentem videre nauigio, quem paulo ante vix aequor omne capiebat; carentem etiam omni seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terris graues erant. Nec pedestribus copiis, quas ducibus assignaverat, felicius iter fuit: siquidem quotidiano labori (neque enim ulla est metuentibus quies) etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat et pestem; tantaque foeditas morientium fuit, ut viae cadaueribus implerentur, alitesque et bestiae illecebris sollicitatae exercitum sequerentur.